



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

xxi [i.e. ii]. Metaphysicum est unum aptum inesse multis: Logicu[m] unum
aptum prædicari de multis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

non erit indifferens ut per hanc, vel aliam differentiam contrahatur, sed antequam contrahatur per actuales singularitates Petri & Pauli, jam erit contracta per has singularitates possibiles. Unde etiam Deus, etsi possit producere naturam ex omnibus, quamcunque voluerit, debet tamen quamlibet producere in illo individuo, cum quo est identificata, adeoque natura in statu possibilitatis est multiplex; nec opus est, prius fuisse unam, antequam multiplicetur, universalia enim sunt singularibus priora tantum prioritate rationis seu essendi consequentiâ. Quod hic dici solet: natura pro statu possibili: talis non est divisa, sic accipiendum non est, quasi non sit singularis seu multa singularia, sed quod non sit divisa secundum prædicata essentialia.

II. Universale metaphysicum est unum aptum inesse multis. Logicum est unum aptum prædicari de multis. Unde patet primò, prædicabilitatem, quæ est proprietas universalis metaphysici, esse de essentia universalis logici. Secundò debere universale inesse multis per identitatem & cum sui multiplicatione, quale quid, quia non sunt voces

&

& conceptus, non sunt hujus definitionis definitum. Tertiò neq; solam naturam, neq; solam universalitatem esse in hac definitione definitum, sed concretum ex natura & universalitate, id est, cognitione confundente & repræsentante multa per modum unius, ita tamen, ut natura sit definitum ut quod seu materiale, universalitas definitum formale seu ut quo, cum ista cognitio confusa sit ratio formalis, cur natura possit de pluribus dici.

III. Significatum materiale universalis seu objectum actus, quo fit universale, non est quid unum, unitate tenente se ex parte objecti, sive non est natura una præcisa objectivè à singularitatibus, quæ immediatè cognoscatur non cognitio ullo modo singularibus; sed sunt ipsa singularia; hæc enim sunt id, quod in se est multiplex, & illis supervenit unitas intentionalis, seu constituuntur unum extrinsecè, dum confusè cognoscuntur secundùm id, in quo conveniunt (qualiter dum cognoscuntur, cognoscuntur similia, non ut similia, aliàs cognoscerentur plura ut plura, sed quæ similia, potestque intel-